

150 FRAN. PETRARCH.

iudicabit. Istud quidem (inquit rex) etiam cæcus videt, cauillatus in loquentis lippitudinem.

THEOCRITVS CHIIVS.

**N**Ee minus mordacior, at alioquin stultior Theocritus, non Syracusius sed Chius, qui cum ad infensum sibi regem Antigonum altero oculo captum traheretur, spem præbentibus suis fore, ut eum ad oculos regis peruenisset, misericordiam inueniret. Respondit: Impossibilis igitur est ista conditio, actum est, perij. Cæterum hæc intempestiua mordacitas, & Theocrito mortis, & Antigono homicidij simul & periurij causa fuit: Iurauerat sibi enim parcere, sed asperitate motus non pepercit.

HANNIBAL.

**V**lgeratissimus est Hannibalis iocus, qui cum vix tandem bello victus à Romanis, ad Antiochum Syriæ regem confugisset, & ille bellum moturus Pop. Rom. innumerabiles equites elephantorumque turritorum & falcatorum curuum copias campis explicaret, noscendarum virium gratia exercitumque auro & purpura, atque exquisitis cultibus onustum intuens, Hannibalem quem lateri habebat